



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus Practicus De Casibus Summo Pontifici, Episcopis, Et Praelatis Religionum Reservatis

Kiene, Johann Georg

Constantiae, 1629

10. 11. & 12. De Sortibus tam Consultoriis, quam Diuisoriis, & quando earum vsus licitus, vel sit prohibitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42214

gravi necessitate maleficum consulere rogareq; licet, vt iuuet soluatque ligaturam &c. Quod naturali aut licito medio nequeat destrui vel prodesse, confugiendum ad preces, signum Crucis, res benedictas, Inuocationem SS. nominum Iesus & Maria &c. & patienter ferendum instar Iobi. *Vide Delr. l. 6. c. 2. q. 3. s. 3. & Less. 20. de Iust. c. 44. dub. 5.*

X. Incidunt VII Qui sortilegia tam diuisoria & consultoria, quam diuinatoria adplicant: aut sortilegi operam implorant. *Iuxta s. Th. 2. 2. q. 95. a. 8.* Sortes proprie sunt cum aliquid eo fine agitur, vt eius considerato euentu aliquid efficiatur aut innotescat, & trifariam diuiduntur. 1. In Diuisorias; vt cognoscant sortientes quid cuique competat in electionibus controuersis. 2. In Consultorias: quibus diuina voluntas exquiritur, vt

pareat

pateat quid in aliquo negotio faciendum aut sit cauendum 3. In Diuinatorias : quando per eas inquiritur de futuris euentis v. g. ex tali taxillorum casu prosperitas, aut infælicitas.

XI. Diuiforiæ sortes , stando iuri naturæ, non sunt prohibitæ, imò in plerisq; rebus licitæ, si nimirum euentus à casu, vel ex peculiari Dei prouidentiâ expectetur : sic hæreditas per sortem diuisa, contractus & sponsionis & sortium (dum partes inter se consentiunt, vt penes illum sit res, de qua litigatur, vel electio cui sortium casus fauerit) sortitio militum de inuadendo oppido, aut cum plures rei mortis existunt, & dux, vt clementiam cum disciplinæ rigore exerceat, illos castigare, aliis parcere cupit ob fælicitatem sortium: præterea tempore pestis, aut naufragii quis Sacerdotum in ciuitate

L

aut

aut à naui debeat eiici, est licita,
& maximè ad dirimendas de re-
bus ciuilibus lites.

XII. Consultoriæ regulariter
sunt illicitæ, nisi in eo euentu, vt
ad Deum cum reuerentia & bona
spe sortes à Deo moderandas,
confugiatur alioqui valde pericula-
losum est, quod tacitè Dæmon
se immiscere & homines possit
decipere. Diuinatoriæ sunt illi-
citæ & superstitiosæ, quod la-
tentis veritatis manifestatio, vel
consilii directio non à Deo sed
Dæmone tacitè vel explicitè ex-
petatur. Et damnantur *in Cap: Si
quis Episcopus. & Cap. Sortes. 26. q.
5. & in Motu proprio Sixtus 5. con-
tra Astrologos* Solent etiam for-
tium aliquæ dici speculatiuæ,
quæ rei latentis cognitioni dun-
taxat deseruiunt v. g. quis tri-
umphaturus sit, aut Consul,
Abbat

Abbas futurus : aliæ dicuntur
 practicæ, cum diriguntur ad ali-
 quid agendum, vt manifestatus
 fur aut homicida queat puniri,
 quæ præter superstitionis mali-
 tiam continent insuper iniusti-
 tiam, infamationem proximi
 & iniustam punitionem, quod
 v. g. non legitimè proberetur de-
 lictum.

XIII. Collige. 1. Nulla of-
 ficia etiam sæcularia regulariter
 sorte distribuenda, sed confe-
 renda maximè idoneis esse, quos
 examen non cæca fors proba-
 uit, nisi mittantur inter æqua-
 les, aut æquè idoneos ferè. De
 electione per sortes ad officium
 aut beneficium Ecclesiasticum &
 dignitatem prohibita constat ex Cap.
Ecclesia de sortilegiis sub finem vbi in-
 definite sortium vsus in electio-
 nibus perpetua damnatur lege.

L 2

Sic